tati meae relinqueretur. Sole jam declinante in oppidum, dictum Brunegg, venimus, hospitio bono suscepti et per noctem procucurati. Est autem Brunegg oppidum valde decorum, pulchrum, et munitum cum castro et arce fortissima supra civitatem in monte. Oppidum hoc novum est, quod quidam episcopus Brixinensis exstruxit, dictus Bruno, et suo nomine oppidum nominavit Brunegg, nam villula ante ibi fuerat, quae dicebatur Eck, cui suum nomen episcopus adjunxit. In hoc oppido non auditur unum verbum Italicum, sed omnia, mores et lingua, sunt Teutonica.

Vicesima secunda die, quae est Vincentii martyris, audita Missa matutinali et jentaculo sumto equos ascendimus et ulterius perreximus per montes, colles, valles et flumina, satis autem bonum iter habuimus, et paucas (**227 a**) admodum nives, videbaturque nobis terra ibi esse magis vernalis, quam heri et nudius tertius. In latere autem cujusdam montis vidimus minerarum specus profundissimas, de quibus dicebant multum extractum argentum; inferius, in vallis imo decurrit fluvius magnus longe infra in profundis rupibus, quibus angustatus vasto cum murmure volvitur adeo velox, ut luctuoso certamine aqua aquam praeire contendat, et ita violentatus inter obvios scopulos impellitur et variis incitatus irritamentis montium coarctatur rupibus, ex quo torrentior factus magno impetu Athesi fluvio jungitur. Super margines ergo illius fluminis equitavimus contra aquam, et ita profunde aqua per viscera petrarum penetrabat, quod absque horripilatione non poteram inspicere.

Sic ergo die illo usque ad vesperas deducto dimissis viis, quae ducunt in Tridentum et Bosanam, in Sterzingen oppidum tendimus per aulonem valde amoenum, in quo ab utraque parte in montibus arces et castra fortissima stant, et villae multae et pascua copiosa, et tandem in oppidum praefatum venimus ibique pernoctavimus.

Sterzingen oppidum ducis Austriae pulchrum et magnum, altissimis circumdatum montibus, hoc nomen sortitum est, ut fertur, a quodam homuncione strumoso et gibboso, qui dicebatur Sterzli, qui primo locum inhabitavit. Ego autem potius crediderim, quod primo nomen habuit Erzingen, sed vulgi more postea additae sunt duae litterae s et t. Bene autem dicitur Erzingen, quia metalla ibi in suas formas fabricis rediguntur. Sunt enim ibi fabricae

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;